



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

3. Daudis, flagella voluntaria suscipientis, promptitudo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45653**

Et quis hoc non faceret, cum etiam bestiae beneficijs cicurentur? & canis eum sequatur, à quo panem accepit? Quod si verò *Fortuna* vultum auertat, si cælum nubibus obscuretur, si pluuia, si nimbi cadant *Casuum* aduersorum; tum animum contrahunt, tū languescunt mente, tum manu cessant, & cum cælo ipso tristantur. Neque hoc satis est, sæpe etiam tonant, contra Tonantem; quod fecisse Pharaonem legimus, & complures. Alij non indignantur verbis, non erumpunt in execrationes & Diras; animo tamen, & vultu, *Fortuna* læuiente, sunt truculenti, ac, se fauciatos esse, profitentur.

Talis Tulipa, quæ sole, eiusque radijs subductis, se se contraxit, fuit Dauid, qui ait: *Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Sed alibi se correxit dicens: *in flagella paratus sum.* Neque nominat flagella, sed quæcunque Deo visa fuerint, ad illa se animo paratum & vtroneam hostiam offert. Decebat enim, vt, à quo acceperat sceptrum, eius non repudiaret flagrum. *Elegisse quidem lego,* ait S. Augustini magister, *S. Dauid flagelli genus, quod equanimiter sustineret. Sed elegit, quia de tribus ei conditionibus eligende vnus necessitas mandabatur. Ubi autem non mandatur, ad omnia paratus est Dei seruulus, seu corporalem ægritudinem subeat, seu fugam à facie inimici, siue obitum filiorum, quos non timet præmittere, quia potest recipere imperterritus. Nam & sciens, quod, si hic fuerit punitus supplicio temporali, leuare in futurum perpetua possit pœnam ærumne. Rogat ergo, vt recipiatur petitio sua, & castigetur ipse, vt recipiatur. Castigat enim Dominus omnem filium, quem recipit. Si seruulum tuum videras peccata propria confitentem vltro offerre se pœna, inflecteris, ignoscis, & de Domini miseratione diffidis? Non contraxit se ergo Dauid, sed sinus tunc omnes expandit, ad flagella Dei, & ad fortunæ ictus excipiendos, vt castigatus ærumna temporali, æternam euaderet calamitatem.*

Iob etiam ab iracundâ vxore, tanquam à Furiarum aliqua, vt se contraheret, & tanquam miserum tragicè ludentis *Fortuna* mancipium, in cælum fureret, non passus est, se loco moueri, sed perstitit, vt columna: cùmque & illa perfilteret in eo incitando, diceretque: *Adhuc tu permanes in simplicitate tua? benedic Deo, & morere:* respondit: *Quasi vna de stultis mulieribus locuta es. Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus? In omnibus his, non peccauit Iob labijs suis.* Quare? quia vidit, mala se sua de manu

Oo

Dei

III.

Plat. 29 8.

Pfal. 37.

S. Ambros.

tra& in Pfal.

37.

IV.

Iob. 2. 9.